

I. N. J.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE

# CAUSA MINISTERI- ALI SCRIPTURÆ SACRÆ

VIRIS *θεοπνεύστοις*,  
EX I. JOHANN. I. v.3.4.

*Quam*  
MODERANTE PRÆSIDE  
VIRO

*Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo, atque  
Excellentissimo*

## DNO. JOHANNNE DEÜTSCHMANNNO,

SS. Theol: Doct. & Prof. Publ. Celeberrimo, Alumn.

Electoralium Ephoro Gravisimo,

*DN. PATRONO, Præceptore, Studiorumq; suorum  
Promotore, omni Observantiâ eternum*

*devenerando, &c. &c.*

Publicè in Auditorio Majori ex B. Lutheri  
Cathedra defendet

## CHRISTIANUS *Strauch* /

Prett. Sax.

*Ad diem 29. Julii MDC. LXXXVII.*



WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKIL

ELECTORALIS SAXONICI  
PROTOSYNEDRI  
PRÆSIDI  
EMINENTISSIMO

NEC NON

DNNNN. CONSILIARIIS

atq;

ASSESSORIBUS SPLENDIDISSIMIS,

*Viris Summè Reverendis, Magnificis, Nobilissimis,  
Amplissimis, Consultissimis atq; Excellentissimis,*

DOMINIS, PATRONIS, ac PROMOTORIBUS  
*SUIS submissâ animi devotione perpetuò colendis*

Dissertationem hanc Theologicam

humillimè offert

RESPONDENS

CRISTIANUS Strauch / Alumn. Elect.

*Ad Pereximium atq; Præstantissimum*  
DN. CHRISTIANUM STRAUCHIUM,  
DE SCRIPTORIBUS CANO-  
NICIS,  
Publice Disputantem.

**M**agna quidem, PEREXIMIE ATQVE PRÆSTAN-  
TISSIME DN. RESPONDENS, *Scriptorum publi-*  
*corum Gloria*, sed omnes *Scriptores* alios, sive sint  
*vetustiores*, sive *recentiores*, *Canonici Scriptores* sua lon-  
gissime superant Eminentia. Non Illi *sua*, sed *Divina Men-*  
*tis sensa* prodiderunt, non *ex sua*, sed *ex Dei voluntate* ma-  
nus ad scribendum admoverunt, non *sua*, sed *Dei*, per *Spi-*  
*ritus sancti Dictaturam* manifestata, *verba* consignarunt,  
non *suas*, sed *Dei Scripturas* publicarunt. Hi *Scriptores*, pu-  
*blici* sunt non *Imperialis*, non *Regalis*, neq; *Ducalis*, sed *Cæ-*  
*lestis Curie Notarii*, sunt *Arcanorum Divinorum Secreta-*  
*rii*, *Testes* Divinorum *Myeriorum & Beneficiorum au-*  
*thentici*. Non *humana*, sed *divina*, non *caduca*, sed *eter-*  
*na*, non *terrestria*, sed *caelestia* suis *Scriptis* ediderunt, & in  
*salutem animarum* nostrarum tradiderunt. Hæc SCRIBIMUS VOBIS, *ut gaudium vestrum sit plenum*, inquit Jo-  
bannes in *Oraculo* nostro, vel ut in præcedentibus loqui-  
tur, *ut & Vos societatem habeatis nobiscum, & societas no-*  
*stra sit cum Patre, & cum Filio Ejus Jesu Christo*. In his igi-  
tur *Scriptis* possidemus *Tabulas felicitatis, & socia fe-*  
*licitatis*, ac *omnis letitia spiritualis ubertatis*. Hic valebit  
illud *Paulinum*, *Attende lectioni*. Hæc scripta melle dul-  
ciora,


*ciora, auro chariora, gemmis preciora.* Nihil in hoc uni-  
verso mundo reperitur, quod *Scriptis* his *Canonicis* vel  
conferri, vel præferri possit. Ex æstimo *Scripturarum*  
non difficile de *Scriptoribus* ipsi*s* iudicium. Bene proin-  
de, PEREXIMIE DN. RESPONDENS, nunc agis, dum eru-  
dita de *Scriptoribus Canonicis* verba publice facis, & qui-  
dem non ex *humanis inventis*, nec ex *Ecclesie Traditis*, sed  
ex ipsi*s* *Authenticis Pandectis*. Nemo rectius, nec alius ac-  
curatius *Canonicas Scriptores* vel cognoscere, vel noti-  
tiam eorum proponere poterit, quam *Catholicus* Ipso*r*um  
*Magister & Eporus*, SPIRITUS SANCTUS. Tu proinde  
*Manuductorem* Optimum, *Doctorem* Maximum eligis,  
& hujus sub *Præsidio Cathedram* adscendis. *Bonum Factū!*  
Perge postea, sicut nunc occæpisti. Sub hoc *Doctore* per  
Hos *Scriptores studium Theologiae* semper colas, & ex his  
omnes protectus quæras. *Doctorem Spiritus sanctus* Tibi,  
Tuisq; studiis semper *adsit*, Tibi, Tuisq; studiis semper  
*præsit*, Tibi, Tuisq; studiis *benedictione* sua copiosa semper  
*prosit*, ut crescas in *Virum perfectum*, in *Doctorem* bonis  
*utilem, & fidelibus salutarem! Vale!*

Dab. Witteb. d. 26. Julii Anno M DC LXXXVII.

T. PEREXIM. PRÆST.

*addictis.*

JOHANNES Deutschmann / D.



IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICA,

# DE CAUSA MINISTERIALI

SCRIPTURÆ SACRÆ, VIRIS θεόπνεύστοις.

EX I. JOHANN. I. 3. 4.

Textus Græcus:

Ὁ ἑωράκαμεν, καὶ ἀκηκοάμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, ἵνα καὶ ὑμεῖς κοινωνίαν ἔχητε μεθ' ἡμῶν καὶ ἡ κοινωνία ἣ ἡμετέρα μετὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ αὐτὰς χεράφομεν ὑμῖν, ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη.

Latinus Vulgatus: *Quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum: & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus, Jesu Christo. Et hec scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.*

B. Lutheri Versio Germ.

Was wir gesehen/und gehöret haben/das verkündigen wir Euch/ auf daß auch Ihr mit uns Gemeinschaft habt / und unser Gemeinschaft ist mit den Vater/und mit seinen Sohn Jesu Christo. Und solches schreiben wir euch / auf daß eure Freude völlig sey.

Textus Exegetis.

I.

**M**Agnum Scripturae bonum est, imbecillitatis humanæ subsidium, & fidei Christianæ presidium, maxime proinde necessarium, ut de *Causis Scripturae Sacrae Ministerialibus* curam aliquam suscipiamus, quæ dicuntur esse Viri θεόπνευστοι, Sancti Spiritus Amanuenses, Curiae cælestis Secretarii, & publici Christianorū Ecclesie Notarii. Johannes, qui non postremus in ipsorum Collegio fuit, & inter Evangelistas, Librū Evangelicū consignando, & inter Apostolos, varias Doctrinales Epistolas Ecclesie Christianæ commendando, & inter Prophetas, Prophetiam Apocalypsicam publicando laudē omnē meretur. Et hic

A

est, qv̄i

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SACRÆ,  
qui nobis hoc *Oraculum* illustre de *Causis Ministerialibus Scri-*  
*ptura* reliquit: AD IDIUS THEOLOGICUS

2. (1.) De *Scriptorum Canonicoꝝ Existentiã* multis ut ge-  
neraliter solliciti simus, id non videtur esse necessarium, cum o-  
mnes Testamentarii, sicut vocantur, libri de suis *Ministerialibus*  
testentur autoribus, partim explicite, dum eorum pleriq; juxta  
communem Ecclesiæ Confessionem, & *Doctorum* tam *verustio-*  
*rum*, quam *recentiorum*, concessionem, *Nomina* suorum *Auto-*  
*rum* in fronte gerant, partim *implicitè* certum aliquem Virum  
*θεόπνευστον*, sancti Spiritus amanuensem præse ferant, & infalli-  
biliter requirant cum *πᾶσα γὰρ ἐν θεόπνευστος* Tit. II. Tim. III. 16.

3. Paucis talem illud probabimus, quod hic præter alia,  
Doctrina de *Scriptoribus Canonicoꝝ* à *Jobanne* nobis exhibeatur  
(1) *Ex Canonica Scriptionis officio*, scribimus, dicit *Jobannes*,  
non ex *arbitrio nostro*, sed ex *consilio divino*, non ex *nostro pla-*  
*cito*, sed ex *divino beneplacito*, non ex *nostro iudicio*, sed ex *divi-*  
*no decreto*, vel *mandato*, non ex *privato studio*, sed ex *Apostoli-*  
*cò scribendi potius officio*. (2) *Ex Canonica Scriptionis Collegio*,  
quia *Jobannes* non de *sua scriptura* solum, sed potius de *Col-*  
*legialis Scriptionis industria* verba facit, & luculenter ostendit,  
quod in hoc *scribendi* negotio nihil in seipso, nihil in aliis *Scri-*  
*ptoribus Canonicoꝝ* desiderari possit. (3) *Ex Canonica Scriptionis*  
*Exercitio*, quia dicit *scribimus* scilicet *actus nos omnes*, quos quos  
ad *scribendum* excitamur, inspiramur, & *dictaturam sancti Spi-*  
*ritus* mente contemplantur. (4) *Ex Canonica Scriptionis objecto*,  
*Hæc*, quæ, tanquã *infallibiles Doctores* vidimus, & *audivimus*, sive  
tanquã *immediati testes oculati*, quoad *Christi vitam*, *auriti*, quo-  
ad *doctrinam*, ut infallibiliter de his testimoniũ perhibere que-  
amus, non *alia scribimus*. (5) *Ex Canonica Scriptionis objecto*, quod  
est *universale*, *Vobis*, inquit hic *indefinite*, sed quoad *diversas sta-*  
*tes* c. II. 12. plenius exponit, & consequenter etiam *ἀναλογικῶς*  
hanc *Universalitatem subjectorum*, ad omnia tempora, ad omnia  
loca, notabiliter extendit, cum hoc ipsa *Canonica scriptura* ra-  
tio



tio, juxta naturam suam, requirat. Christus de Verbo suo dicit: *Quod vobis dico, omnibus dico Marc. XIII. ult.* Sic etiam hic, in *Jobannis* verbis, idem valere censemus: *Quod Vobis scribimus, omnibus hominibus, omnibus aetatibus, omnibus temporibus, omnibus locis, scribimus.* Unde *Jobannes* etiam non loquitur in *præterito*, scripsimus, sicut c. II. 14. sed in *præsenti*, Scribimus, ut ostendat *perpetuum præsens* his scripturis ubiq; locorum coram omnibus hominibus convenire. (6) Ex *Canonica* *scriptionis* *scopo*, qui dicitur partim *spiritualis cum Apostolis communio*, partim *spiritualis cum Patre & Filio ejus Jesu Christo*, consequenter etiam cum *Spiritu sancto, communicatio*, partim *spiritualis gaudis plenitudo*, qui *finis* omnes luculenter ostendunt, quod hic & de *Scripturis*, & de *Scriptoribus* *Canonicis* agatur, cum nec *humanis*, nec *Angelicis* *scripturis*, hoc convenire possit, ut illis ejusmodi *fructus*, & *effectus* *divini* tribui possint, dum certissimum manet, quod *effectus* neq; *nobilior*, neq; *perfectior* esse possit sua causa.

4. Considerabimus autem juxta *præsens Oraculum II. Scriptorum* *Canonicorum* *Essentiam*, quæ neq; *melius*, neq; *placius*, neq; *plenius*, quam juxta *Causas*, explicatur. *Causa Efficiens* est, vel *Primaria*, nim. *Deus gloriosus*, ita tamen ut *authenticis* *scriptores* referantur ad *Deum* (1) ὁ θεὸς, vel *Essentialiter*, sic dicitur ὁ θεὸς v. 5. ὁ θεὸς φῶς ἐστίν, *Deus lux est*, quæ verba, juxta *contextum*, tum ad *annunciationem*, tum ad *scriptionem* *Apostolicam* referuntur: *Hæc est annuntiatio*, (jam *annuntiatio* cum *scriptione* suo modo recipitur, v. 3. & 4. *quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, ET HÆC SCRIBIMUS vobis*) *quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis.* Quoniam *Deus lux est*, & *tenebræ in eo non sunt ulla.* Et aliàs notissimum, quod *scriptura Canonica* sit *scriptura DEI*, *Exod. XXXI. 18.* *scripturae fœderis Dei* c. XXXIV. 27. *Lex Jehovæ* *Jerem. II. 8.* *B. Luth. redd.* Wir haben die heilige Schrifft für uns. *ἡ ἀγιὰ* *Rom. I. 2.* *Scriptura sacra*: τὰ ἱερὰ *ἡ γραμματα* *Sacra litera* *II. Tim. III. 15.* *ἡ ἁγία* *ἡ γραμματα* v. 16. quæ denominationes omnes &

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SACRÆ,

singulæ nos eò deducunt, ut & *Scripturam sacram*, & *Scriptores Canonicos* soli Deo subordinemus; cum primis quia scripserunt, (a) *antemundana* Prov. II. 22. seq. I. Cor. II. 7. Eph. I. 4. quæ certe nullus *hominum*, vel *angelorū*, penetrare potuit. (b) *ante humana* Gen. I. & II. Job. XXXII. 4. seqq. Psal. CIV. 1. seqq. Job. I. 1. 2. (c) *caelestia* Job. I. 6. II. 1. I. Reg. XXII. 17. seq. Dan. VII. 13. (d) *æterna* Prov. II. 22. seq. Job. XVII. 5. & c. (e) *abscondita* Dan. II. IV. II. Reg. VI. 8. seqq. (f) *futura* Gen. III. 15. IV. 1. V. 29. XII. 2. & c. Hæc autem & alia tradere solius *divinae* sunt *omniscientia*. *Scriptores* quoque *Canonici* scripserunt, ut *servi Dei*, sicut *Paulus* hoc cum aliis in omnibus suis *Epistolis* in principio statim indicare consuevit: pleriq; vero *Scriptores* testantur, se non *suum*, non aliorum *hominum*, nec *angelorum*, sed *solius Dei Verbum* proponere, vel scribere, quæ ratione rursus hoc confirmat locus classicus, quod *πῦσι θεοῦ ὄντι θεοπνευστοῖς* II. Tim. III. 16.

5. (2) *ἡ ἀποστολικὴ*, sic referuntur *Canonici Scriptores* (1) *ad Deum Patrem*, qui certe per suam *Paternam providentiam* *Ecclēsiæ* de *Scripturis authenticis* prospicere voluit (1) *quia Canonici scriptores* testantur & annunciant suis scripturis *Vitam æternam*, quæ erat apud *Patrem*, & apparuit nobis v. 2. quod enim *annunciarunt*, illud *scripserunt* v. 3. & 4. Ad hanc autem *rum* *annunciationem*, *rum* *testificationem*, *rum* *scriptionem* officialem à *Patre* firmiter, & efficaciter obligati fuerunt. (2) *quia* per *scripturam* hanc veram cum *Patre* *κοινωνίαν* habere debemus v. 3. 4. *Medium* autem *paterna κοινωνία* nemo, nisi *caelestis Pater*, *Scriptoribus* *Canonicis* manifestare, vel suppeditare potuit. (3) *quia scriptores Canonici gaudii plenitudinem* suis scriptis pariunt, *hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum* Hoc *gaudium* *Pater* misericors *pœnitentibus*, & *conversis* in *remissione peccatorū* largitur Ps. LI. 10. & in *scripturis* hi, tanquam *fratres spirituales*, & *filiis Dei Patris adoptivi*, *gaudium* hoc percipiunt, ut *Paulus* ostendit Phil. III. 1. *Fratres mei, gaudete in Domino, eadem vobis scribere, me non piget, vobis autem tutum est.*

EX I. JOHAN. I. 3.4.

est. (4) quia Deus Pater lux est v. 5. imò Pater lucis, à quo donum  
omne bonum calitus descendit Jac. I. 17. & sic etiam nobis do-  
navit Scriptores authenticos, ut verbum lucis nobis configna-  
re, & ad lucem ipsam nobis viam monstrare debuerint. (5)  
quia Deus Pater πολυμενῶς καὶ πολυτρόπως locutus est, (scri-  
psit) olim Patribus in Prophetis Heb. 1. 1. Prophetæ proinde,  
vel alii Viri θεόπνευστοι fuerunt Doctores, & Scriptores Mini-  
steriales, quorum ministerio tum in prædicando, tum in scri-  
bendo, Deus Pater usus est, sed ipse fuit Doctor & Scriptor  
Magisterialis, vel Principalis; jam quod quis per alium facit,  
per semetipsum fecisse putandus est.

6. (2) Ad Deum Filium, quæ ratione Scriptores Canoni-  
ci pariter ad Deum Filium, tanquam Principalem Autorem, re-  
feruntur (1) quia Filius est Verbum vitæ principaliter v. 1. sed  
Verbum scripture dicitur instrumentaliter verbum vitæ Phil.  
II. 16. adeoq; sic Vita Verbum ad Verbum Scripture pertinet,  
originaliter, sed ad Scriptores Ecclesiasticos tantum Ministe-  
rialiter. (2) quia Filius est vita æterna, quæ est apud Patrem  
v. 2. Job II. 1. & idem cum Patre c. X. 30. adeoq; sic ad eum Scri-  
ptores æterna vitæ Canonici, cum omnibus authenticis Tabu-  
lis ejus, h. e. Scripturis sacris referuntur, tanquam ad causam  
Principalem, cum primis, quia cum Patre semper eadem opera-  
tur Job. V. 17. (3) quia Videntes, audientes, & annunciantes  
Apostoli sunt Ejus Apostoli, vel Legati Matth. X. 1. ejus servi,  
vel Ministri, sicut Paulus Scriptor Canonicus in Exordiis Epi-  
stolarum semper de se testatur. (4) quia Apostoli, vel Scripto-  
res Canonici v. 2. testes esse debuerunt Christi, qui tum prædi-  
cando, tum præconium suum scriptis consignando, de ipso testa-  
ri debuerunt Job XV. 27. Luc. XXIV. 49. Act. I. 8. &c. (5) quia  
v. 2. 3. 5. præcones & Doctores Verbi, vel doctrinæ de Christo,  
modis omnibus esse debuerunt, & viva voce, & scripto, & bap-  
tismo Matt. XXIII. 19. cū modis omnibus τὸ μαθητεύειν exer-  
cere, Christoq; discipulos facere in mandatis habuerint, adeo-  
que Christus eos etiam scribere jussit. (6) quia per manda-

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SACRÆ,  
 reum Christi quoque Canonici scriptores, & communionem cum  
 Deo & Christo, & gaudii plenitudinem promovere debuerunt.  
 v. 3. 4. (6) quia Christus, tanquam DEI Filius, sæpius Johanni  
 mandatum scribendi dedit Apoc. I. 11. 19. II. 18. 12. 17. 18. III. 1. 7.  
 14. 15. Quod autem de Johanne, tanquam de Scriptore Cano-  
 nico verum, illud etiam de reliquis Scriptoribus θεοπνεύστis &  
 dicendum, & concedendum.

7. (3) Ad Deum Spiritum sanctum, qui principalis quoque  
 causa Scriptorum Canonorum revera dicitur (1) quia τὸ scri-  
 bere v. 4. principaliter respicit Spiritus sancti beneplacitum,  
 sicut dicitur Actor. XV. 28. Visum est Spiritui sancto, & Nobis,  
 hac vobis scribere necessaria. (2) quia Johannes testatur, quod  
 HÆC scribant, nim. secreta DEI de Verbo Vita v. 1. de vita  
 eterna, de Vita apud Patrem, de Messie apparitione v. 2. de Ec-  
 clesie totius, vel Auditorum & Doctorum communiōe, de spiri-  
 tuali cum Patre & Filio societate v. 3. &c. quæ solus scrutatur  
 Spiritus Dei, nobisque revelat I. Cor. II. 10. non modo per an-  
 nunciandi, v. 3. sed etiam per scribendi Ministerium v. 4.

8. (III) ἰδιοπραγίας, sic omnino Principalem hanc cau-  
 salitatem sibi peculiariter Spiritus sanctus accommodat (1)  
 quia scriptio officium v. 4. est Spiritus sancti Ministerium,  
 ἀγκυρία τῆ πνεύματ © II. Cor. III. 8. (2) quia Spiritus sanctus  
 est Dominus Ministerii I. Cor. XII. 5. seqq. Præses & Autor Mi-  
 nisterii Actor. XX. 28. adeoque cuncti Ministeriales actus, etiam  
 scriptio Canonica, suam à Spiritu sancto, ducunt ortum. (3) quia  
 divisiones Administrationum sunt, inter quas etiam Ministratio  
 scribendi, sed idem Dominus, nim. Spiritus sanctus I. Cor. XII. 5.  
 (4) quia Spiritus sanctus operatur in omnibus, omnia quoque ad  
 Ministerium Ecclesiasticum v. 6. (5) quia πᾶσα γρηφὴ θεο-  
 πνεύστ ©, II. Tim. III. 16 quæ θεοπνεύστ respicit peculiariter Spi-  
 ritum sanctum, (6) quia nunquam Sancti Dei Viri, seu Cano-  
 nici Scriptores, ex voluntate humana vel locuti sunt, vel scripse-  
 runt, sed τὸ πνεύματ © ὁ γὰρ φερόμενος II. Pet. I. 21. (7)  
 quia

EX I. JOH. II. v. 3. 4.  
quia Christus & Apostoli de Scripturis V. T. Canonicis luculentum testimonium perhibent, quod Spiritus sanctus & in his locutus sit, & quod verba Scriptorum Canonicorum Spiritus sanctus ipse sibi peculiariter appropriarit, Matt. XXII. 41. Marc. XII. 36. Act. I. 16. & c. ubi verba Scriptorum authenticorum dicuntur ipsius Spiritus sancti, tanquam Auctoris principalis, & ipsi Scriptores manent verborum auctores ministeriales, (8) quia Canonici Scriptores propterea scripserunt v. 4. ut gaudium fidelium esset plenum: hoc autem gaudium est Spiritus sancti Rom. XIV. 17. fructus Spiritus sancti Gal. V. 22.

9. Hæc de *Causa primaria* sufficiant, quod attinet *causam secundariam*, illa nobis, juxta textum, exhibet *Officialia scribendi Media*: licet enim Spiritus sanctus immediate suo afflatu Viris *θεοπνευστοις* scripturam inspiravit, cum *πρωτα* *θεοπνευστος* sit, & hac ratione tum *πρωτα*, vel *realia*, tum *ενημερα*, seu verba, scribenda dictarit, vel & *πρωτα*, & *πρωτα* ad scribendum communicarit Matt. X. 19. tamen nequam *media necessaria* simpliciter excludere voluit: sed quemadmodum Spiritus Sanctus in conversione nequam excludit hominis convertendi pedes, ne veniat ad auditum verbi, oculos, ne videat concionatorem, vel non legat oculis scripturam, aures, ne Dei verbum audiat, mentem, ne verbum auditum mente sua cognoscat, voluntatem, ne velit admittere gratiam, cor, ne corde recipiat verbum atque fidem & c. sed hæc omnia potius *subjective* requirit, & admittit: *Gustate & videte, quam suavis sit Dominus*, dicitur Ps. XXXIV. 9. *Venite & videte opera Domini XLVI. 9. Ite & renunciate Johanni, quæ videtis, & auditis Matt. XI. 4.* Sic etiam Spiritus sanctus, talia sive *subjectiva*, sive *objectiva media*, circa *Scripturæ dictaturam* in Viris *θεοπνευστοις* admisit, quæ suo jure quodam *Officialia Scriptorum Canonicorum Media* nuncupamus.

10. Sunt autem hæc *media duplicis Generis*, nim. alia *materialia*, alia *formalia*; illa sunt *mediata*, hæc *immediata*, illa *naturalia*, hæc *ministerialia*, illa magis *subjecti*, hæc magis

gis

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SACRÆ,  
gis objecti, illa generalia, hæc specialia, illa persona, hæc sparte,  
illa hominum, hæc Apostolorum &c. Sed notandum hic, si ple-  
ni9 hæc media producere velimus, quod duo precedentes ver-  
ficuli Capituli huj9 simul conferendi sint.

11. Quod attinet media Materialia, vel mediata, ea sunt  
vel externa, nim. sensus, vel interna, seu intellectus. Externo-  
rum mediorum tria recenset (1) Auditum aurium, quod au-  
divimus, & hoc medium tanti facit Jobannes, ut illud trina vi-  
ce producat v. 1. 3. & 5. Intelligit autem auditum non vulga-  
tum, sed accuratum, non pbysicum tantum, sed mysticum etiam,  
non superficialium, sed plenarium, non mediatum, sed imme-  
diatum, non ab aliis hominibus acceptum, sed ab ipso Deo, vel  
Christo perceptū, non tam personalem quam officialem, quia tū  
in Apostolis, tū in Scriptoribus Canonicis, talis reqvirebatur,  
ut ipsimet Christum prædicantem audiverint, vel etiam in-  
ternis auribus Spiritus sancti dictatum susceperint, cum pri-  
mis si scriptores generaliter respicere, & non ἀπὸ τῆς οὐχὲς etiam  
attendere velimus, qualis tunc ipse Paulus extitit.

12. (2) Visum oculorum, quia Jobannes dicit de plerisq;  
Scriptoribus N. T. cum ἀποτοῖσι soleat fieri vel denominatio,  
vel consideratio, quod oculis suis viderint Verbum vite, tum  
quia testes oculati communiter auritis præferri consueve-  
runt, si nim. disjunctim accipiantur, sicut vulgo dicitur: Plus  
valet unus oculatus testis, quam auriti decem: ideo Christus  
potissimum oculatos testes ipsos Apostolos eligere Matt. X. 1.  
sibiq; tales testes constituere voluit Act. I. 3. tum quia sicut  
auditu potissimum propter Christi doctrinam & conciones,  
sic oculis seu conspectu propter vitam & miracula fuit opus:  
tum quia testis, & oculatus, & auritus simul, certissima fide de  
re quavis testimonium edere potest.

13. (3) Tactum Manuum, quod manus nostre contrecta-  
verunt. Addit hunc tertium sensum ipse Jobannes, propter  
summam certitudinem. Certus est auditus, certior visus, sed  
certissimus tactus

## EX I. JOHANN. I. v. 3. 4.

*certissima, & contractatio dicitur omnium certissima. Hanc elegantem gradationem adhibet ipse Salvator Luc. XXIV. 36. cum ex improvise clausis foribus discipulis se conspiciendum præberet. Nam (1) locutus est ipsis, ut eum audirent, dicens eis: Pax vobis, juxta Vulgatū: Ego sum, nolite timere: & cum essent contrabati, & perterriti, nim. existimantes, se videre Spiritum, vel spectrum; pergit in altoquio: Quid turbati estis, & quæ cogitationes ascendunt in corda vestra? sed cum verborum auditus omne dubium removere non posset, mox (2) ad visum provocat, ut certiores eos redderet, & penetrantem medicinam dubitantibus cordibus afferret, inquam: Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. Verum cum nec oculis suis, præ nimia consternatione, plenam fidem haberent, (3) ad tactum, tanquam summæ certitudinis sensum, eos ablegat: Palpate me, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Similem processum, à Doctore & Salvatore adhibitum, Johannes etiam hic ostendere voluit inquam, (1) quod audivimus, (2) quod oculis nostris vidimus, (3) & quod manus nostræ contractaverunt, illud annunciamus, & Scribimus vobis.*

14. Quoad interna media saltem unum adducit, nim. *θεῶν*, quod est spectare, contemplari. Facile quidem concedimus, quod hoc verbum etiam de externo visu adhibeatur, sicut ejus usus in N. T. semper, & apud profanos Autores etiam in hac significatione communiter occurrit; *θεῶν*, quod etiam Johannes h. l. non tam ad intellectualem notitiam, quam ad sensualem experientiam, ejusque satis evidentem certitudinem respiciat: tamen quia partim verbum *θεῶν* hic à verbo *θεῶν* distinguitur; partim consequens aliquod externi visus inferre dicitur; partim ab Oecumene declaratur, quod significet, cum admiratione & stupore inspicere, vel secundum alios publice cum attentione quasi in teatro mirum, novū, vel insolitū spectaculum contemplari, vel ad minimum accurate, quoad omnes circumstantias, respectu, & representationes adspicere, vel observare; partim cognationem habet cum verbo *θεωρεῖν*, vel etiam ejus primitivum est, quod vel plerumque

B

vel

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SACRÆ,  
 vel sæpius, ad *animi* contemplationem refertur; *partim* talis in-  
 terna mentis vel observatio, vel consideratio, vel admiratio, ma-  
 xime muneri convenit *Apostolico*, & *Scriptorum* θεοπνεύτων; ideo  
 nō inconveniēter ad *internam mentis considerationem*, vel *obser-  
 vationē*, refertur, licet hac in causa litem nemini movere velim⁹.  
 Hoc tamē certum, quod interna πληροφωρία & ἰσχυρο-  
 λεια, maxime *Scriptoribus* θεοπνεύτοις & *Canonicis* necessaria fue-  
 rit, sicut *Lucas* c. I. 1. 3. 4. luculenter indicat, & sic etiam ad hæc  
*interna* *Johannes* vel *explicitè*, vel *implicitè* respicere, vel ea non  
 excludere dicitur.

15. Quod attinet *Media Formalia*, quæ *Johannes* hic *Scris-  
 ptoribus* *Canonicis* tribuit, aliud est *Generale*, nim. *Testari*: Nam  
 hoc *Apostolorum* *testari* varium fuit, quia *testati* sunt, se *Mini-  
 stros* esse *Christi* (1) *Verbis*, quia *predicarunt* *Evangelium* *omni*  
*creatura* *Marc. XVI. 15.* unde *Johannes* h. I. trina vice suum *An-  
 nunciamus* *Vobis* inculcat v. 2. *Vidimus*, *testamur* & *ANNUN-  
 CIAMUS* *VOBIS* *vitam eternam* v. 3. *quod vidimus*, & *audivi-*  
*mus*, *ANNUNCIAMUS* *VOBIS* v. 5. *Hæc est annuntiatio*, quam  
*audivim⁹ ab eo*, & *ANNUNCIAMUS* *VOBIS*: indicans, quod hoc  
*perfectum* sit *officiale* *Medium* *Apostolici* *Muneris*, quia *primum*,  
*communissimum*, *optimum*, *maximū*, & quia *fides* est *ex auditu* *Rom.*  
*X. 17.* (2) *Miraculis*, quia post *ascensionem* *Christi*, & *pentecosta-*  
*lem effusionem* *Spiritus S.* *professi* sunt *Apostoli*, *predicaverunt*  
*ubiq;* *Domino* *cooperante*, & *sermonem* *confirmante* *sequentibus*  
*signis*, h. e. *miraculis* *Marc. XVI. 20.* sicut *Christus* in *præcedenti-*  
*bus* *ipsis* *promiserat* v. 17. *Signa autem* *eos*, *qui crediderint*, *hæc*  
*sequentur*: *In nomine meo* *demonia* *ejicient*, *lingvis* *loquentur*  
*novis*, *serpentes* *tollent*: & *si mortiferum* *quid biberint*, *non eis no-*  
*cebit*, *super egros* *manus* *imponent*, & *bene* *habebunt.* (3) *Scriptis*,  
 quia *scriptæ* *Virorum* θεοπνεύτων nihil aliud sunt, quam *publica*  
*de Deo*, *rebusq;* *divinis* *testimonia*, sicut *Johannes* *de seipso* *refere*  
*Job. XIX. 35.* *Et qui vidit*, *nim. lateris* *Jesu* *crucifixi* *apertionem*,  
*per lanceæ* *transfositionem*, *testimonium* *perhibuit*, & *verum* *est*  
*testimonium* *ejus.* *Es ille* *scit*, *quia* *vens* *dicit*, *ut* & *vos* *credatis* *Hæc*  
*testi-*



EX I. JOHANN. I. 3.4.

vestificantia media sunt officialia Scriptorum Canoniorum  
 τεκμηρια, vel Media.

16. Aliud *Speciale*, quod sub *generali* continetur, & dicitur esse *geminum*, nim. (1) *Medium predicationis*. Hoc ipse *Messias* omnibus sua *praxi* monstravit, & quidem (1) *Praxi prima*, quia statim in *paradiso* *praxin* hanc primam nostris *protoplastis* manifestavit, dum *Protevangelium* ipsis annuntiavit, *Gen. III. 15.* (2) *Praxi continua*, vel ad minimum *assidua*, dū sæpius *Patriarchis*, & *fidelibus*, in *λογοφωρειας* V. T. personaliter apparuit, & *predicationis*, vel *annunciationis mediæ* exercuit. (3) *Praxi primaria*, dum in diebus *carnis* *principalis Evangelista* factus, & *Evangelium regni Dei* cunctis annuntiavit. (4) *Praxi subordinata*, dum in *Veteri Testamento Patriarchas*, *Prophetas*, & alios *Viros Spirituales*, excitavit, & in *N. T. Duodecim Apostolos* vocavit, & tanquam *Regni Legatos* in universum orbem terrarum ablegavit, sufficientibus *donis* exornavit, & *litteris Credentiæ*, sicut vocantur, vel aliis *privilegiis* armavit. Hoc certis respectibus etiam de *Prophe-tis* V. T. verum est. Et sic *praxis Messie principalis* est τὰ ξυς *Doctorem Ministerialis*, sicut Idē *Johannes* hoc loco trina repetitione τὴν *Annunciamus vobis* indicavit, prout *precedenti thesi* declaratum.

17 (2) *Medium Scriptionis*, quia dicit, *Hæc scribimus Vobis*. Et hæc *Scriptio* citra dubium est *Medium Scriptorum Canoniorum*, quia per hanc *scriptionem facti*, & propter eam *dicti* sunt *Scriptores*, cum primis quia *Deus* ipsemet exemplo suo *Medium* hoc inchoavit *Exod XXXI. 18.* suo *præcepto* *Mossi* demandavit *Exod. XVII. 17. XXXIV. 27.* suo *Spiritu* *scribenda* causaliter *inspiravit*, de *verbo ad verbum* dictavit, per hanc *scriptionem* *Verbum* suum tam *fidei*, quam *saluti* destinavit, & eam, ceu *Ministeriale medium*, in usum *Ecclesie* consecravit, dum *annunciationem*, ex divina voluntate, *scriptio* *credendorum* sequitur, sicut apparet ex *Johanneæ connexionē: Quod*

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SAC.

*vidimus, & audivimus, annunciamus Vobis, ET HÆC scribimus Vobis.* Inter quæ *Scriptio* medium ultimum est.

18. Ab *Efficiente Causa* digredimur ad *Causam Materialem*, quæ ratione *Materia ex qua* dicitur, vel *immediata*, quam indicat *Johannes* pronomine, tum *demonstrativo*, tum suo modo *relativo*. HÆC dicens: *Hec scribimus.* Hæc autem particula respicit partim *Historica*, quæ viderunt in *Vita Christi*, partim *dogmatica*, quæ suis auribus audiverunt de *Theologicis Dogmatibus* in *Concionibus Christi*; *speciatim* autem, quæ peculiariter à *Spiritu sancto* per *θεοπνευ* de his dictata, vel *inspirata* fuerunt, quæ ratione vel ex hoc unico capite totum *compendium Theologiae* colligi posset, cum, quoad *Archontologian*, agatur de *divina Revelatione*, de *scriptura sacra*, quoad *Theologian*, de *Natura Dei*, de *Divinis Attributis*, de *Personis Divinis*, de *fruitione, vel communionem Dei*, quoad *Anthropologian*; de *homine peccatore* v. 8. 10. ejusq; *restauracione* v. 7. 9. quoad *Christologian*, de *Persona, Officio, & Beneficiis*; quoad *Mysteriologian*, de *Verbo Dei*, de *penitentia, de justificatione, sanctificatione, &c.* quoad *Eschatologian*, de *Vita eterna*, tanquam *regno lucis, & opposito ejus*, tanquam *regno tenebrarum.*

19. Vel *Mediata*, sic *Materia ex qua* sunt HÆC, quæ nim. à *Spiritu sancto dictata*, perq; *Scriptores Canonicos* ordinae *consignata*, nim. *Hæc*, quæ de *Vita, vel Mediatore Christo*, tum in *Veteri*, tum in *Novo Testamento* manifestata sunt, *Scribimus vobis*, hæc & non *alia Gal. I. 8. Hæc, & non peregrina, hæc & non opposita &c.* Huc etiam suo modo referri possunt *integræ libri, vel integræ volumina*, quasi diceret *Johannes, Hæc volumina Canonica, quæ sunt ipsius DEI dona, vel Diplomata, scribimus Vobis.*

20. *Materia in qua* dicitur *Ecclesia vera*, in qua tum fuerunt *Scriptores*, qui scripserunt, & *Auditores, vel Lectores*, quibus illa scripserunt, siquidem in *Ecclesia Scriptores omnia sua*

sua

ha media tum adhibuerunt, tum exercuerunt, nim. Christum  
 audiverunt, viderunt, & manibus palparunt: In Ecclesia suas,  
 tum annuntiationes, tum testificationes, tum scriptiones, insti-  
 tuerunt. Ecclesia laborum Ministerialium Officina. Ecclesia  
 Gratiae Regnum, in quo calitus Diplomata Regis gratia, vel Mes-  
 sia nomine consignanda, publicanda, approbanda, observan-  
 da fuerunt. Ecclesia Domus Dei Magna, Domus Regia, Domus  
 ampla, in qua nos omnes, juxta Tabulas Oeconomicas fa-  
 derales, & memoriales, oportet conversari I. Tim. III. 15. & vera  
 columna, vel  $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\tau\omicron$  Imperialis, ubi Diplomata scripturarum  
 publicarum, & Canoniarum sunt affixa, ut ibi semper legi  
 possint: Verum Ecclesia dicitur  $\epsilon\delta\epsilon\gamma\alpha\iota\omega\mu\alpha$ , repositorium & re-  
 ceptaculum, collocatorium & conservatorium, Bibliotheca Ve-  
 ritatis, cui concredita sunt  $\tau\alpha\ \lambda\omicron\gamma\alpha\ \tau\omicron\varsigma\ \theta\epsilon\omicron\varsigma$  Rom. III. 2.

21. Materia circa quam, vel Objectum, sunt Christiane  
 fideles, Vobis scribimus. Hoc, Vobis, Jobanni familiarissimum  
 est v. 2. Annuntiamus Vobis v. 3. Annuntiamus Vobis v. 4. Scri-  
 bimus Vobis v. 4. annuntiamus Vobis; quater hic inculcat A-  
 postolus illud Vobis, cum quadratum sit immotum, & satis fi-  
 xum. Nec hoc Apostolo sufficit, sed c. II. v. 12. seqq. illud se-  
 xies circa scripturam repetit, ut veram suam delectatio-  
 nem in hoc Vobis manifestaret, & per omnes aetates obje-  
 ctum suum dilataret: v. 12. Scribo Vobis, filioli, v. 13. Scribo Vo-  
 bis Patres; Scribo Vobis adolescentes. v. 14. Scribo Vobis infan-  
 tes: Scripsi vobis Patres: Scripsi Vobis adolescentes &c. Haec  
 certe repetitio non otiosa, sed momentosa, vereq; fructuosa.

22. Materiam sequitur Causa formalis, quae per verbum  
 scribimus indicatur, siquidem haec scribendi ratio Scriptori-  
 bus Canonicis dat Esse, dat distingui, dat operari, sicq; necessa-  
 rio nobis causam formalem exponit. Nam (1) dat Esse, quia  
 scriptor sine  $\tau\omega$  scribere formaliter nec est, nec esse debet,  
 nec esse potest. Scriptor sine scriptione concretum est sine  
 abstracto, agens sine actu, Doctus sine doctrina, Orator sine O-  
 ratio.

ratio.

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SACRÆ,  
*ratione, Operator sine opere &c.* hoc est verum σιδυρόζυλον.  
 (2) *Dat distingvi*, quia sic ipsimet *Apostoli*, vel alii *Doctores*,  
 suis *formalibus actibus* distingvuntur, quia vocantur *testes*  
 per τὸ *testari* v. 2. *Pracones* vel *annunciantes*, quoad τὸ *annun-*  
*ciare* v. 2. 3. 5. & deniq; *Scriptores* per τὸ *scribere* v. 4. (3) *Dat*  
*operari*, quia hoc τὸ *scribere* producit *sacras scripturas*, quæ si-  
 ne hac *scriptione* verè non extarent, committit eas *Ecclesiis*, &  
 omnibus *fidelibus*, *scribimus Vobis*, *conjunctim* in *Ecclesia*,  
*figillatim* cuiuslibet in *propria persona*, ut *Ecclesia*, tanquam  
*Bibliothecaria*, *scripturas* custodiat, *Rom. III. 2.* suisq; *filiis my-*  
*sticis* proponat, & *quilibet fidelis* eas *diligenter legat*, dies  
 noctesq; *meditationibus* suis in iis consumat *Pf. 1. 2.* *societa-*  
*tem* cum *Patre & Filio* mysticam in iis inquirat, inveniat, &  
 possideat v. 4. *gaudii spiritualis plenitudinem* in eis perpetu-  
 am obtineat, & sentiat, nec in *tenebris* ambulet, sed cum *Deo*,  
 qui *lux* est, indefinenter in *luce* versetur v. 5. 6. 7. &c.

23. Notandum autem, quod hoc, τὸ *scribimus*, maxime  
 sit *emphaticum*, cum sit (1) *formativum* ratione rei, quia per  
 τὸ *scribere* *litera*, *syllaba*, *voces*, *versiculi*, *Capita*, *libri*, forman-  
 tur, & ad totam *scripturam* formaliter observandam ordi-  
 nantur. (2) *Autoritativum*, ratione Dei, quia *scribere* hoc ἐξο-  
 ρικῶς introducitur, cum ratione *principii* sit à *Deo*, vel *Spiri-*  
*tu sancto*, ratione *medii*, fiat per *inspirationem*, vel *dictaturam*  
*internam*, ratione *objecti*, mera scribantur, *divina πράγμα-*  
*τα*, *divina ῥήματα*, quia πᾶσα γραφή θεόπνευστος II. Tim.  
 III. 16. (3) *Collectivum*, ratione *subjecti*, quia *Johannes* non lo-  
 quitur in *singulari*, *Ego* scribo, nec in *duali*, *ἡμεῖς*, vel *ἡμεῖς* scri-  
 bimus, sed absolute in *plurali*, *γράφουσιν*, adeoq; sic totum  
*Collegium* *Scriptorum* *Canonicorum* respicit, se *Collegio* tan-  
 torum *Virorum* conjungit, eorum *scriptionem* commenda-  
 tione sua vehementer extollit, & in eorum *Collegium* se-  
 ipsum transmittit, ac cum iis *Cælestis Regis* *Diplomata*, tan-  
 quam *Doctrina salutifera*, *Vitaq; Christiana Memorialia*, vel  
 Depo-

EX I. JOHANN. I. 34.

Deposita scribere gestit; cum primis, quia, adum Orthodoxam antiquitatem, certa quaedam prerogativa, vel Scriptorum Canonorum, vel θεολογῶν Doctorum Novi Testamenti, potissimum notantur, quales sunt (1) Immediata à Christo institutio. (2) Immediata ab eodem missio ad docendum. (3) Generalis legatio in universum orbem terrarum, cum potestate plantandi & fundandi Ecclesias I. Cor. XI. 25. (4) Generalis hujus Legationis & potestatis visibile Symbolum, nempe manuum Impositio, per quam visibiliter dona Spiritus S. conferebantur. (5) Donum predicendi futura, sicut Paulus praedixit restitutionem Judaeorum, Rom. XI. 25. AntiChristum, ejusque revelationem, & interuersionem II. Thess. II. 3. & Johannes in Apocalypsi, plurima. (6) Immunitas ab omni doctrina errore post acceptum die Pentecostes Spiritum S. (7) Extraordinarius Spiritus, & extraordinaria autoritas, adjuncto jure spiritualis coercionis adversus rebelles II. Cor. X. 6. 8. [8] Autoritas, qua nullus ex discipulis eorum comparari cum ipsis unquam potuit, aut potest; qua nimis Apostoli Christi super Ecclesiam reliquam extiterunt. Nam secundum Legationem Apostolicam, à Christo ipsis commissam, supra Ecclesiam erant; secundum se verò in Ecclesia, ut membra ipsius, auctoritatem Domini sui & legationis suae testificantia, sicut Thumm. Impiet. Weigel. p. 3. & 4. scribit. 4) Activum, ratione facti, vel modi, quia Johannes non votis optat, neque verbis nunciat, sed ipso actu praestat et scribere, hinc active dicit scribimus. (5) Indicativum, ratione modi, grammaticè, ratione objecti, Theologicè, quia dicit scribimus Vobis ἡμεῖς γὰρ οὐκ ἔγραψαμεν, ἀλλὰ ἡμεῖς ἔγραψαμεν. (6) pra-

DE CAUSA MINISTERIALI SCRIPTURÆ SACRÆ.

(6) *presens & perpetuum*, quia per hoc scribimus indicat, quod hæc Scriptura sit continua, vel *semper presens Epistola Dei*, cui libet nostrum ita *commendata*, quasi singulis horis noviter scribatur, nobis à Deo per Secretarios suos mittatur, & ad legendam eam homo semper compellatur. (7) *fructuosum*, quia omne *agens*, & omne *scribens agit*, & scribit propter *finem*, & *usum*, seu *fructum*, inde *nobilissimus*, *jucundissimus* & *utilissimus* adjicitur *fructus*, scribimus *Vobis*, ut *gaudium vestrum sit plenum*, ubi pariter non loquitur in *præterito*, quasi fuerit olim saltem *Viris θεοπνευστοῖς* *gaudium plenum*; vel in *futuro*, quasi tantum vel *nobis*, vel *aliis de futuro* sit aliquod *plenum gaudium futurum*: sed in *presenti* SIT. quia si *semper presens* est debita *scriptura lectio*, vel *meditatio*, *semper presens* est, & manet *gaudii spiritualis*, & quidem *plenissimi possessio*, & *fruitio*.

24. Tandem addimus breviter *Scriptorum Canonicorum Causam Finale*, quam aliam *Johannes respectu DEI*, aliam *respectu Christi*, aliam *respectu nostri* producit. *Respectu DEI* varii notantur *finis scriptorum Canonicorum* (1) *DEI Manifestatio* v. 2. (2) *Dei per scripturas annunciatio* v. 2. 5. (3) *SS. Trinitatis communio*, ut *Deus veram & mysticam cum hominibus κοινωνίαν*, vel *communione* habere possit. v. 3. 6. *Respectu Christi* (1) *Verbi Vitæ manifestatio* v. 2. (2) *Christi, tanquam æternæ vitæ, annunciatio* v. 2. (3) *Vera cum Christo consociatio, vel communio* v. 3. 6. 7. *Respectu nostri*, (1) *Nostri per Scripturam informatio* v. 1. 2. (2) *Æternæ vitæ per scripturam testificatio* v. 2. (3) *Spiritualis nostri cū Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto communio* v. 3. (4) *Plenitudinis gaudii collatio* v. 4. (5) *Peccatorum, vel mysticarum tenebrarum aversatio* v. 5. 6. (6) *In luce cum Deo ambulatio* v. 5. 6. & c.

